1530. 28. 7bris

Cricius Tomicio

24

Reverendissime in Christo Pater et Domine benefactor colendissime. Venienti mihi huc, occurrit per amicos abbas accessit ipse deinde supplex veniam erratorum postulans, ego homo ad blanda verba vel cera mollior, remisi simpliciter omnia restat adhuc cum Domino Capitaneo super arcis violentia negotium quod tamen ad meum reditum suspendi aggressi deinde sumus Commissionem Regiam, conspeximus edificia huius arcis et minutissima queque nobis ostensa per ipsos fabros qui laboravunt, taxari fecimus iuxta Documentum Regium conspeximus demum Sylvam insularem examinavimus iureiurando rusticos accolas ut si quod damnum factum esset, aut quale illud fuerit, maiestatem Regiam certiorem reddere possimus, invenimus damnum ultra opinionem immodicum, fuit enim hactenus Sylva ipsa ab omnibus tam ducibus quam tenuarijs, adeo Sancte servata, ut nisi in summa necessitate arbor, cedi solebat, erant quercus ut trunci indicant ingentes, reliquorum arborum tanta

Copia

cunia, et ex illis cinerum duntaxat conflati sint lasti plus minus ducenti quinquaginta, singulus autem lastus vendi solet minimo florenis sex. Mittimus autem notam istorum omnium, ut ipsamet Maiestas Regia et sua Privilegia et suorum bonorum damna iudicet et cognoscat. De sexingentis florenis per nobilitatem promissis ab universis requirere non potuimus, nam adhoc opus esset conventu aliquo, sed quoscunque singulatim interrogavimus, unusquisque respondebat a se nihil neque promissum neque datum esse, nunc expeditis istis molestissimis negotiis prosequar in Dei nomine meum iter ad Romaniam quo neque primus neque ultimus venire vellem. Commendo me gratiae vestrae Reverendissimae Dominationis, quam Dominus Deus servet diutissime sospitem et semper felicem. Ex Plocka die 28. 9bris anno Domini 1530.